RELIGIÖSE SAMMELHANDSCHRIFT

Salzburg, 1457

Seite 328r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Idem tamen simpliciter qui prius et masculus et femina erit licet non eadem materia sit quia non indicat identitas secundum materiam sed secundum formam. Sane vel erit etiam sexus diversitas non quidem permanens usui vel libidini sed novo decori et divine laudi. Porro hermafroditus in eo sexu non surget quem ei natura dedisset si non impedita fuisset. Mortui ergo qui in Christo mortui quiescunt resurgent primi. Non quia sit ibi ordo temporis sed dignitatis. Resurget autem unusquisque in suo ordine, si apostolus ut apostolus, si propheta ut propheta, et ita de ceteris. Sunt etiam illi qui vivi rapientur secundum apostolum simul cum illis qui dormierunt obviam in aera Christo rapientur, et ut dicit in ipso raptu morientur statimque resurgent, ut anima de corpore quasi per soporem egressa eadem in momento reddatur.

De miraculo et causa resurrectionis nostre

Anime quidem etiam exute corporibus appetunt incorporari et nullo appetitu ut quedam retardantur ne ex toto confluant in summe maiestatis contemplationem. Sed et corpus naturaliter appetit animam tanquam perfectionem suam. Unde licet in utroque sit mutue coniunctionis desiderium, non tamen potest a natura iterato coniungi sed miraculose tamen. Primo quidem quia non potest fieri regressus a privatione in habitum per naturam ergo nec a morte ad vitam. Deinde quia ipsa resurrectio subito fienda legitur, non successive operatione naturali. Tertio quia coniunctio ipsa indissolubilis erit et corpus impassibile quod natura nullatenus facere potest. Quarto quia resurget idem corpus numero. Natura vero non facit idem numero sed specie. Ex similibus uero natura similia procreat speciemque individuorum multiplicatione conservat. Veruntamen duplex erit in resurrectione coniunctio corporum. Una scilicet actio qua miraculose fiet per angelorum ministerio. Alia vero velut media inter partes coniunctas et hec naturalis erit sicut in ceco illuminato habitus fuit miraculose et visus actus naturalis. Itaque non oportet dicere quod resurrectio sit naturalis quamvis illa forma sit coniunctio que est relatio, non est resurrectio sed coniunctio ad vivendum. Dicitur autem resurrectio Christi causa nostre resurrectionis fore quia quodammodo causa meritoria est liberalitatis, ac amore Christi faciat fideles eius resurgere gloriose, sicut cum rex terrenus filium suum militem facit eius amore multos alios milites faciat, et etiam causa motiva est quantum ad nos quia monet nos ad resurrectionis gloriam bonis operibus acquirendam, et item eius causa id est formalis id est exemplaris. Hec omnia que dicta sunt ante iudicium illud extremum futura sunt.

De adventu iudicis et illustratione.

Omnibus itaque resurgentibus et in conspectum iudicis comparentibus obviabit in primis peccatoribus illa facies delictorum suorum omni tormento amarior, inde natura remorsio, inde timor dolorum desperatio, inde